

Loquacitas A

Absit ut multiloquium deputem quando necessaria dicuntur, quantalibet sermonum multitudine autem prolixitate dicantur.

Augustinus.

Loquacitas B

Periculum est dicere non solum falsa, sed etiam vera, si is ea non quibus oportet insinuet, quod viciium quadripartitum est, vel adulacionis, vel avaricie, vel iactancie, vel loquacitatis incaute.

Ambrosius super Beati immaculati.

Loquacitas C

Quamplures vidi loquendo in peccatum incidisse. Vix quempiam tacendo, ideoque tacere nosse quam loqui difficilius est.

Ambrosius 1. de officiis.

Loquacitas D

Alliga sermonem tuum ne luxuriet, ne lasciviat, et multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior et ripis coerceatur, cito lutum colligit annis et undas, lugum sit verbis tuis et statera atque mensura, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus.

Ambrosius ibidem.

Loquacitas E

Ingreditur mors per hostium tuum si falsum loquaris, si turpiter, si procaciter, postremo si ubi non oportet loquaris.

Ambrosius libro 1. de virginitate.

Loquacitas F

Verba volvere et apud imperitum vulgus admiracionem sui facere indoctorum hominum est. Nichil tam facile quam vilem plebem et indoctam volubilitate lingue decipere, que quicquid non intelligit plus miratur.

Hieronymus ad Nepotianum.

Loquacitas G

Tempus tacendi et tempus loquendi, discreta vicissitudine pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debet, per verba se inutiliter solvat, aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat.

Gregorius libro 7. moralium.

Loquacitas H

Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum. Aquam quippe dimittere est linguam in fluxu eloquii relaxare, quo contra in bona eciam parte dicitur aqua profunda, verba ex ore viri. Qui ergo dimittit aquam, caput est iurgiorum, quia qui linguam non refrenat, concordiam dissipat.

Gregorius in pastorali.

Loquacitas I

Quot supervacuis verbis mens a silentii sui censura dissipatur quasi tot ruinis extra se ducitur, unde redire interius ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium exterius sparsa vim intime consideracionis amittit.

Gregorius libro 7. moralium.

Loquacitas K

Pravi sicut in sensu leves sunt, ita in locucione precipites, quia quod levis consciencia concipit, levior protinus lingua prodit.

Ibidem libro 5.

Loquacitas L

Lingua sub magni moderaminis liberacione frenenda est, non insolubiliter obliganda ne aut laxata in vicium defluat, aut restricta eciam ab utilitate torpescat.

Ibidem libro 8.

Loquacitas M

Si illatas molestias lingua tranquille diceret, a consciencia dolor emaneret. Vulnera enim clausa plus cruciant, quia cum putredo que intus fervet eiicitur, ad salutem dolor aperitur.

Idem libro 7.

Loquacitas N

Cum intencionem bonam locutio cauta non sequitur, ipsa pietatis propositio in transgressionis vicium vertitur.

Ibidem libro 5.

Loquacitas O

Isti sunt casus culpe crescentis, ut lingua cum non restringitur, nequaquam ubi ceciderit iaceat, sed semper ad deteriora descendat.

Ibidem libro 16.

Loquacitas P

Tenerum membrum est lingua, et tamen vix teneri potest, substantia quidem infirmum atque exiguum, sed usu magnum et validum; in venis tenuis est et lata, ideo aptissimum evacuandis sordibus instrumentum.

Bernardus in quodam sermone.

Loquacitas Q

Levis quidem sermo qui leviter volat, sed graviter vulnerat; leviter transit, sed graviter urit; leviter penetrat animum, sed non leviter exit; leviter profertur, sed non leviter revocatur; facile volat, ideo caritatem facile violat.

Bernardus ibidem.

Loquacitas R

Vanus sermo cito polluit mentem, et facile agitur quod libenter auditur.

Isidorus in libro soliloquiorum.

Loquacitas S

Sapiens non solum quod loquitur, sed etiam opportunitatem loci et temporis et persone cum loquitur diligenter inquirat.

Glossa super illud proverbiorum 15: Sermo opportunus est optimus.

Loquacitas T

Vanus sermo vane consciencie est iudex, mores hominis lingua pandit, qualis sermo ostenditur, talis animus approbatur, quoniam ex abundantia cordis os loquitur. Sermo vanus non erit absque iudicio, quia ab omni statu rectitudinis deperiunt qui per vana verba dilabuntur.

Hugo libro 2. de anima.

Loquacitas U

Lingua dicitur quia lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiando; ligat et ligari non potest, labilis est et teneri non potest, sed labitur et fallitur. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta; tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias, uno ictu multos percutit et interficit, blanda est et subdola, lata et parata ad exhaurienda bona et miscenda mala. Qui custodit linguam suam, custodit animam, quoniam mors et vita in potestate linguae est.

Ibidem.

Loquacitas X

Quis est hominum sic cautus, ut si inter emulos loquatur, nullum eius verbum incurrat aliquam questionem. Difficilis res est, linguam in lubrico faucium constitutam veritatis rigide tenere mensuram, cui si incaute frena laxentur, frequenter contra se loquitur. Facilius enim culpa tacendo refugitur quam loquendo. Salomon dicit: Ori tuo facito hostium et seram, et verbis iugum atque stateram.

Cassiodorus super illud Psalmi: Dixi custodiam.

Loquacitas Y

Quibus citra honestatis nitorem lingua polluitur in frenis, his consciencia quoque sordidissima est, quia facilius contingit ut quispiam seria loquens vivat obscene, id est immunde, quam valeat ostendi, qui pariter existat improbus dictis et probus moribus.

Sidonius libro 3. epistolarum.

Loquacitas Z

Sapiens sermones suos precogitat et examinat prius in pectore quam proferat in ore. Qui enim sunt leves et faciles ac importuni locutores, nullo rerum pondere innixi verbis humidis et laxantibus eam oracionem bene existimant. Est in ore nasci non in pectore linguam.

Agellius libro 8.

Loquacitas AB

Numquam tacet, quem morbus loquendi tenet, Hesiodus ait linguam non vulgandam esse sed recondendam, et thesaurum eius esse gratiam optimam, si modesta pauca et modulata sit.

Agellius ibidem.

Loquacitas AC

Quidam a Pictagora querens quoniam inter sapientes discipulos computari possit, respondit: Serva silencium, donec necessarium sit tibi loqui. Si nichil dixeris, nisi quod bene scieris, si gesseris optima et locutus fueris pauca. Nam silencium signum est sapientie, et loquacitas signum est stulticie. Ne festines respondere, donec fuerit finis interrogacionis, nec questionem in conventu solvere tentes cum sapientioem te interesse prospexeris.

Pictagoras in suis preceptis.

Loquacitas AD

Non multis verbis opus est, sed efficacibus seminis modo spargenda sunt.

Seneca 38. epistola.

Loquacitas AE

Quemadmodum sapienti viro incessus modestior convenit, ita oracio pressa non audax. Summa ergo summarum hec erit tibi, tardiloquentem te esse iubeo.

Seneca 40. epistola.

Loquacitas AF

Sermonem maximo temperamento cum loquente dispensa, in quo patitur aut extraneus verecundiam, aut familiaris calumniam, aut imperitus iniuriam, aut crudelis invidiam, aut peritus infamiam.

Seneca in quadam epistola.

Loquacitas AG

Imago animi sermo est, qualis vir, talis oratio. Magnum est vocis et silentii temperamentum. Garrulo non respondere convicium est.

Seneca in proverbiiis.

Loquacitas AH

Ut licenciosa mancipia animi imperio redige linguam, cupiditatemque opprime si non potes paululum remitte. Sepe ea que sanari ratione non poterant, sanate sunt tempore.

Seneca libro de moribus.

Loquacitas AI

Conscienciam amici nullus invenit lingue preceps, canibus imbecillibus mos est, quanto plus defecerunt virium tanto magis latratibus indulgere.

Seneca in proverbiiis.